

20. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.
21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.
- * *Marc. 6. 45.* 22. * Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.
- * *Ioann. 6. 15.* 23. Et dimissa turba, * ascendit in montem solus orare. Vespere autem factus solus erat ibi.
- * *Marc. 6. 46.* 24. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.
25. Quartam autem vigiliam noctis, venit ad eos ambulans super mare.
26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.
27. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.
28. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas.
29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Iesum.
30. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cepisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac.
31. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modica fidei, quare dubitasti?
32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.
33. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Verè filius Dei es.
- * *Marc. 6. 53.* 34. * Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar.
35. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes:
36. & rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

CAPUT XV.

Humana traditiones. Insignia duo miracula, de Syrophœnissa, & septem panibus.

† FER. 4.
POST
DOM. 3.
QUADR.
Marc. 7. 1.

1. **T**unc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisei, dicentes:

2. * Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant.
3. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:
4. * Honora patrem, & matrem. & * *Exod. 20. 12.* Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. *Deutor. 5. 16.*
5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus, quodcumque est ex me, tibi proderit: *Ephes. 6. 2. Exod. 21. 17.*
6. & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. *Lev. 20. 9. Prov. 20. 20.*
7. Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens:
8. * Pópulus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. *Isai. 29. 13.*
9. Sinè causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. *Marc. 7. 6.*
10. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.
11. Non quod intrat in os, coïnquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coïnquinat hominem.
12. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisei audito verbo hoc, scandalizati sunt?
13. At ille respondens ait: * Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. *Ioan. 15. 2.*
14. Sinite illos: * cæci sunt, & duces cæcorum. cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. *Luc. 6. 39.*
15. * Respondens autem Petrus dixit ei: Ediffere nobis parabolas istam. *Marc. 7. 17.*
16. At ille dixit: Adhuc & vos sinè intellectu estis?
17. Non intelligitis quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in feces emittitur?
18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coïnquinant hominem:
19. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adultéria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia.
20. hæc sunt, quæ coïnquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coïnquinat hominem. *Marc. 7. 24.*
21. * Et egressus inde Iesus fecerit in partes Tyri, & Sidonis. *† FER. 5. POST DOM. 1. QUADR.*
22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Misere mei

CAPUT XVI.

Signum de celo petunt Iudei. Confessio, & primatus Petri. Passiois prædictio.

1. **E**T accesserunt ad eum Pharisei, & Sadducei tentantes: & rogarunt eum ut signum de celo ostenderet eis. *Marc. 8. 11.*
2. At ille respondens, ait illis: * Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim calum. *Luc. 12. 54.*
3. Et manè: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.
4. Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? * Generatio mala, & adultera signum querit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis, abiit. *Supr. 12. 39. Ion. 2. 1.*
5. Et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere.
6. Qui dixit illis: * Intuemini, & cavete à fermento Phariseorum, & Sadduceorum. *Marc. 8. 15. Luc. 12. 1.*
7. At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus.
8. Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?
9. Nondum intelligitis, neque recordamini * quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? *Supr. 14. 17. Ioann. 6. 9.*
10. neque * septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? *Supr. 15. 34.*
11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Phariseorum, & Sadduceorum?
12. Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrina Phariseorum, & Sadduceorum.
13. * Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? *Marc. 8. 27.*
14. At illi dixerunt: * Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò Ieremiam, aut unum ex prophetis. *† CA. THEDR. ROM. S. PETRI. Item IN FESTO APOST. PETRI ET PAULI.*
15. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? *Marc. 8. 28.*
16. Respondens Simon Petrus dixit: * Tu es Christus, filius Dei vivi. *Luc. 9. 19. Ioann. 6. 70.*
17. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.
18. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & cæli & terræ

Oooo

& 42.

mei Domine fili David: filia mea malè à dæmónio vexatur.

23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos.

24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi * ad oves, quæ perierunt domus Israël. *Supr. 10. 6. Ioann. 10. 3.*

25. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adiuva me.

26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

27. At illa dixit: Etiam Domine: nam & canelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

28. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

29. Et cum transisset inde Iesus, venit fecus Mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi.

30. * Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curavit eos. *Isai. 35. 5.*

31. ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israël.

32. * Iesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. *Marc. 8. 1.*

33. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos.

35. Et præcepit turbæ, ut discumbent super terram.

36. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo.

37. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres.

39. Et, dimissa turba, ascendit in naviculam: & venit in fines Magédan.

& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalébunt adversus eam.

19. * Et tibi dabo claves regni cælorum. Et * quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum & in cælis: & quodcúmque solveris super terram, erit solútum & in cælis. ^{18. * Isai. 22. 22. * Ioan. 20. 23.}

20. Tunc præcepit discipulis suis ut némini dicerent quia ipse esset Iesus Christus.

21. Exinde cæpit Iesus ostèdere discipulis suis, quia oportèret eum ire Ierosolymam, & multa pati à seniõribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertiã die resurgere.

22. Et assumens eum Petrus, cæpit increpare illum dicens: Absit à te, Dómine: non erit tibi hoc.

23. Qui conversus, dixit Petro: * Vade post me sâtana, scándalum es mihi: quia non fapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hóminum. ^{18. * Marc. 8. 33.}

24. Tunc Iesus dixit discipulis suis: * Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. ^{18. * Supr. 10. 38. Luc. 9. 23. & 14. 27.}

25. * Qui enim volúerit animam suam salvam facere, perdet eam. qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. ^{18. * Marc. 8. 33. Ioan. 17. 33. Ioan. 12. 25.}

26. Quid enim prodest hómini, si mundum univèrsam lucrètur, animæ verò suæ detrimentum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro anima sua?

27. Filius enim hóminis venturus est in glória Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundùm ópera eius. ^{18. * Act. 17. 31. Rom. 2. 6.}

28. Amen dico vobis, * sunt quidam de híc stantibus, qui non gustábunt mortem, donec videant Filium hóminis venientem in regno suo. ^{18. * Marc. 8. 39. Luc. 9. 27.}

CAPUT XVII.

Transfiguratio. Advéntus Elia. Puer lunaticus: quæ sit vis fidei, ubi ieiúnio & orationi sociátur. Didrachma solvit Dóminus.

Marc. 9. 1. Luc. 9. 28. SABB. QUAT. TEMP. QUADR. DOM. 2. QUADR. IN TRANS. FIGUR.

1. **E**T post dies sex & assumit Iesus Petrum, & Ia óbum, & Ioánnem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsam seorsum:

2. & transfigurátus est ante eos. Et resplénduit facies eius sicut sol: vestiménta autem eius facta sunt alba sicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illis Móyses, & Elias cum eo loquéntes.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Dómine, bonum est nos híc esse: si vis, faciámus híc tria tabernacula, tibi unum, Móysi unum, & Elia unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrávit eos. * Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus diléctus, in quo mihi benè complácuti: ipsum audite. ^{17. * Supr. 3. 17. 2. Petr. 1. 17.}

6. Et audiéntes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.

7. Et accésit Iesus, & tétigit eos: dixitque eis: Súrgite, & nolite timère.

8. Levántes autem óculos suos, néminem viderunt, nisi solum Iesum.

9. Et descendéntibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens: Némini dixeritis visiónem, donec Filius hóminis à mórtuis resúrgat. ^{17. * Supr. 3. 17. 2. Petr. 1. 17.}

10. Et interrogáverunt eum discipuli, dicéntes: * Quid ergo Scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primùm venire? ^{17. * Marc. 9. 10. Mal. 4. 5.}

11. * At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet ómnia.

12. dico autem vobis, * quia Elias iam venit, & non cognóverunt eum, * sed fecerunt in eo quæcúmque voluerunt. Sic & Filius hóminis passurus est ab eis. ^{17. * Supr. 11. 14. * Supr. 14. 10.}

13. Tunc intellexérunt discipuli, quia de Ioánnè Baptista dixisset eis.

14. * Et cum venisset ad turbam, accésit ad eum homo génibus provolútus ante eum, dicens: Dómine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè pátitur: nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam. ^{17. * Marc. 9. 16. Luc. 9. 38.}

15. & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

16. Respondens autem Iesus, ait: * O generatio incrédula, & perversa, quousque ero vobiscum? usquequò pátiar vos? Afferte huc illum ad me. ^{17. * Marc. 9. 18.}

17. Et increpávit illum Iesus, & éxit ab eo dæmoniùm, & curátus est puer ex illa hora.

18. Tunc accessérunt discipuli ad Iesum secrétò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eicere illum?

19. Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. * Amen quippè dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicétis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil imposibile erit vobis. ^{17. * Luc. 17. 6.}

20. Hoc autem genus non eicitur nisi per orationem, & ieiúnium.

21. Con-

21. Conversántibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: * Filius hóminis tradéndus est in manus hóminum: ^{18. * Infr. 20. 18. Marc. 9. 30. Luc. 9. 44.}

22. & occident eum, & tertiã die resúrget. Et contristáti sunt vehementèr.

23. Et cum venissent Caphárnaum, accessérunt qui didrachma accipiébant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

24. Ait: Etiam. Et cum intráset in domum, prævenit eum Iesus, dicens: Quid tibi vidètur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab aliénis?

25. Et ille dixit: Ab aliénis. Dixit illi Iesus: Ergo líberi sunt filii.

26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & apèrto ore eius, invenies statèrem: illum sumens, da eis pro me, & te.

CAPUT XVIII.

Húmiles in regno cælorum aliis anteponuntur: vitándum est scándalum pusillórum. De correctiõne fratèrna. Cláviùm potèstas. De rege qui rationem ponit cum servis suis.

1. **I**N illa hora & accessérunt discipuli ad Iesum, dicéntes: Quis putas, maior est in regno cælorum? ^{18. * S. MI- CHAEL. ARCH. Marc. 9. 33. Luc. 9. 46. Infr. 19. 14. 20. 1. Cor. 14. 20.}

2. * Et advocans Iesus párvulum, stáuit eum in médio eórum,

3. & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælorum.

4. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est maior in regno cælorum.

5. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me suscipit.

6. * qui autem scandalizáverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendátur mola asinária in collo eius, & demergátur in profúndum maris. ^{18. * Marc. 9. 41. Luc. 17. 2.}

7. Væ mundo à scándalis. Necesse est enim ut veniant scándala: verútamèn væ hómini illi, per quem scándalum venit.

8. * Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscide eum, & prójice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi débilem, vel cláudum, quam duas manus, vel duos pedes habéntem mitti in ignem ætèrnum.

9. Et si óculus tuus scandalizat te, érue eum, & prójice abs te: bonum tibi est cum

uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis.

10. Vidète nè contemnátis unum ex his pusillis: dico enim vobis, * quia angeli eórum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. ^{18. * Psal. 33. 8.}

11. * Venit enim filius hóminis salvare quod perierat. ^{18. * Luc. 19. 10.}

12. Quid vobis vidètur? * si fuerint alicui centum oves, & erráverit una ex eis: nonnè relinquit nonagintanovem in móntibus, & vadit quærere eam, quæ errávit? ^{18. * Luc. 15. 4.}

13. & si contigerit ut invéniat eam: Amen dico vobis, quia gáudet super eam magis quam super nonagintanovem, quæ non erráverunt.

14. Sic non est volúntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut péreat unus de pusillis istis.

15. * Si autem peccáverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. si te audierit, lucrátus eris fratrem tuum. ^{18. * Lev. 19. 17. Eccli. 19. 13. Luc. 17. 3. Lac. 5. 19. FER. 3. DOM. 3. QUADR. Deut. 19. 15. Ioan. 8. 17. 2. Cor. 13. 1. Hebr. 10. 28. 1. Cor. 5. 9. 2. Thess. 3. 15. Ioan. 20. 23.}

16. si autem te non audierit, ádhibe tecum adhuc unum, vel duos, * ut in ore duórum, vel trium téstium stet omne verbum.

17. * Quòd si non audierit eos: dic ecclesiæ. si autem ecclesiám non audierit: sit tibi sicut éthnicus, & publicanus.

18. * Amen dico vobis, quæcúmque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcúmque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.

19. Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quæcúmque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est.

20. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nómine meo, ibi sum in médio eórum.

21. Tunc accédens Petrus ad eum, dixit: * Dómine quóties peccábit in me frater meus, & dimittam ei? usque sépties? ^{18. * Luc. 17. 4.}

22. Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque sépties: sed usque septuágies sépties. ^{18. * DOM. 21. POST PENTEC.}

23. * Ideò afsimilátum est regnum cælórum hómini regi, qui voluit rationem pónere cum servis suis.

24. Et cum cæpisset rationem pónere, oblátus est ei unus, qui debèbat ei decem millia talénta.

25. Cùm autem non habèret unde redderet, iussit eum dóminus eius venundari, & uxórem eius, & filios, & ómnia, quæ habèbat, & reddi.

Oooo 2 26. Pró-